## CAP. II.

### *De Numa Pompilio.*

SUccedit Romulo Numa Pompilius: quem 1
Curibus Sabinis agentem, ultro petivere,
ob inclytam viri religionem. Ille sacra, & cære- 2
monias,

1



2



Numa Pompilius] *Ejus facies è Calpurniæ gent. denariis apud* Oyzel. cxii. Tab.

VARIORUM.

NUma dictus ἀπὸ τῶν νόμων, hoc est, à legibus quas instituit. Numæ gesta scribunt Livius, 1. 18. & seqq. Plinius (sive Victor est) de vir. illustr. cap. 3. Solin. cap. 1. Ruffus de vita regia. Eutrop. 1. 1. Oros. in 2. Agell. Valerius Maxim. 1. 2. 1. Lactantius, 1. 22. Plinius, 13. 13: 14. 12: 18. 29. Augustinus de Civit. Dei, 2. 16: 3. 9: 11 15: 7. 35: 18. 24. Plura Ovid. Metam 15. fab. 44. Virg. Æn. 6. 808. Plura Plutarch. in vita Numæ, & Dionys. 2. 59. *Camers.*

1. *Curibus*] Sabinarum urbium hæc tunc opulentissima, parvulus vicus Augusti Cæsaris temporibus. Strabo lib. 5.

Ancilia] *Quæ in Ant. Pii. N. apud* Oyzel. cxi. Tab.

FREINSHEMII.

2. *Ille sacra*] Omnia quæ ad divinum cultum spectabant, Numa in octo partes distribuit. Primi erant *Curiones*, qui pro curialibus rem divinam faciebant. Secundi *Flamines*, quos à gestatione pileorum, quæ flammea dicebantur, ita nominabant. Alii à filo derivant, quasi filamines. Tertio erant *Tribuni Celerum*, qui designari solebant, ut regum ad bellum euntium satellites & custodes. Quarto ordine erant *Augures*, qui non avium tantum, sed signa omnia divinitus missa interpretabantur. Quintus ordo habebat *Virgines Vestales*, quæ sacri ignis custodes erant. Sexto loco habebantur *Salii*, qui saltatione